

cordis ventriculum sinistrum defertur, ex quo ventriculo tandem per aortam & ipsius *ramificationes* ad singulas corporis partes nutritionis causa propellitur. Sanguis vero a nutritione superfluus, refluit iterum per ramulos ex trunco venæ cavæ ad dextrum cordis ventriculum, denuo hoc circuito pellendus. Ea enim est cordis fabrica ut, durante contractione cordis seu *systole*, sanguini diverticulum præbeant cordis *auriculæ*, donec, iterata ejus dilatatione, seu *diastole*, cordi influere possit. Præterea valvulæ tum in ventriculis cordis, tum in venarum internodiis appositæ sunt ut sanguini e corde ad arterias liberum concederent transitum, ejus vero regressum refrænarent, & contra permetterent sanguini per venas reditum ad cor, ejusdem vero per venas refluxum impedirent. Hunc perpetuum motum sanguinis plurimum adjuvant *anastomoses*, sive mutæ *inosculationes* extremitatum arteriarum & venarum, quales ubique occurrunt

..... 4 *Serum* est humor sanguinis falsus qui per renes & cutis poros excernitur. *Sudor* est illa seri pars quæ sub cute secreta per poros eliminatur; huc etiam referenda est *transpiratio* insensibilis.

..... 5 *Fluidum nerveum* est humor cerebri quo nervi irrigantur; habetur plerumque pro spiritibus animalibus. Certum quidem est omnes sensibilitates & motus in universo corpore a nervis produci; an vero ad motum requirantur spiritus animales seu fluidum nerveum quod per nervos deferatur, iis celerrime influat